g) id autem vera simul ac concinna formula effertur, qua Romanus Pontifex *subiectum eminens iuris possidendi* appellatur.

h) Aliud argumentum pro hac sententia habetur ex eo quod notio supremi dispensatoris quam adversarii urgent non differat a notione *eminentis iuris possidendi* nisi ut *actus secundus ab actu primo.* Suprema enim dispensatio est actuale exercitium *eminentis iuris possidendi.*

i) Item longe aptius ea explicantur et intelliguntur quae de bonis ecclesiasticis sacrilegis direptionibus usurpatis, ad maiora mala devitanda Romani Pontifices statuerunt in concordatis initis hoc saeculo XIX nominatim in concordato gallico anni 1801.

k) Neque demum huic nostrae sententiae deest suum ex DD. auctoritate praesidium, de qua re conferri potest Fagnanus in Comm. *ad cap. Relatum 7. Ne clerici vel Monachi n. 26. sqq. (III. 50)*

XIII. Iam patet quo pacto intelligendae et explicandae sint formulae quae hunc pertinent vel enim

a) *negative,* Romano Pontifici negant dominium et possessionem bonorum ecclesiasticorum et hae tum comparatione facta cum alia eum esse supremum dispensatorem, tum ex modo ipso loquendi ita explicantur, quatenus conceptibus mere philosophicis et communibus dominium et possessionem exhibent, vel

b) *positive,* supremam dispensationem adscribunt et iam diximus quid significent; (XII. h) aut Christo tribuunt dominium et id solum significat ius non esse *humanum* sed *divinum;* (IX. c.) aut illud tribuunt Ecclesiae *universali,* et hoc spectat solum *ad factum materialis possessionis* cuius *forma* est supremum ius eminens Rom. Pontificis.

XIV. Denique facile difficultates quae obiici possunt solvuntur. Quae enim ex formulis depromuntur non solum disiiciuntur sed optime retorquentur. Qui vero dicunt Romanum Pontificem in sua deprimi quodammodo dignitate, facile revincuntur, quia non quodcumque sed *eminens* subiectum esse dicitur.

Denique iis qui adversus nos urgent, ex nostro argu-

mentandi modo qui societatis perfectae conceptu nititur, illud sequi tribuendum quoque tum esse principi *ius eminens in bona privatorum,* respondemus:

a) nego paritatem, neque enim bona *simpliciter ecclesiastica* sunt bona *privatorum* quin imo haec nota prorsus ab iis excluditur (vide superius nn. IV. sqq.)

b) *distinguo,* ius eminens possidendi tribuendum est principi *nego,* ius anteferendi bonum communitatis iuri privatorum possidendi conc. et iterum nego parit. Patet ex lege quam vocant *expropriationis* ob publicam *utilitatem, servitutis militaris quoad domus, praedia* etc.

At vero longe magis ex dictis competit Pontifici quoad ecclesiastica bona. Nulla ergo inter ipsum et quemcumque principem civilem analogia ex qua difficultas petebatur.

Cum autem ea quae ad ius spectant possidendi, ex rite constituta indole *iuris administrandi Ecclesiae bona* mirifice illustrentur, de eo nunc etiam est disserendum.

§. II. *De iure administrandi.*

436. Ea quae spectant ad ius possidendi quod Ecclesiae vindicavimus, sponte sua connectuntur cum iis quae ad ius administrandi pertinent. Quin imo dici potest ex indole ecclesiasticae possessionis, eam maxime *administratione,* contineri. Vocamus autem ius administrandi illud quod et rei conservationem, et eiusdem usum, ac dispositionem complectitur. Potest autem distingui ius administrandi generatim consideratum, et ius administrandi quod determinatis ecclesiasticis personis competit.

a) Si generatim administratio ecclesiasticorum bonorum spectatur, dicendum est eam ita ad Ecclesiam pertinere, ut nulla ratione laicis sit permittenda. Hinc pluries Ecclesia suis sanctionibus hanc plenam libertatem in administratione bonorum ecclesiasticorum, contra usurpationes civilis potestatis vindicavit.

b) Pro diversa autem ratione qua bona temporalia ab Ecclesia possessa sunt, varia etiam fuit ratio eadem administrandi. Quamdiu enim in unaquaque dioecesi in unicam veluti massam collecta exstitere, horum administratio uni

episcopo, qui idoneos ad hoc adhibebat ministros, tribuebatur: facta vero divisione ex *institutione beneficiorum ecclesiasticorum,* horum administratio iis profecto committi opus fuit qui ea habebant.

c) Generalis tamen regula in administratione ecclesiasticorum bonorum haec fuit; praeter ea quae ad decentem clericorum sustentationem necessaria forent, reliqua in pauperes eroganda vel ad divinum cultum augendum dedicanda esse.

d) Illud etiam multiplici ecclesiastica lege cautum fuit, ut qui administrationem bonorum ecclesiae susciperent, statis temporibus rationem huius redderent episcopo cuiusque dioecesis. Quod porro episcoporum ius circa administrationem locorum piorum quorumcumque hodiedum lege ecclesiastica viget, ut distinctius dicemus agentes inferius de locis piis.

e) Denique ad hanc bonorum ecclesiasticorum administrationem generatim spectatam pertinent etiam leges ecclesiasticae, quae eorum alienationem moderantur; quae tamen cum magni sint momenti, peculiarem tractationem requirunt iuxta partitionem initio statutam. Patet exinde, quodnam sit fundamentum huius iuris quod Ecclesiae competit, administrandi sua bona, et quaenam generales leges quibus subiicitur.

f) Si vero ad peculiares personas gradum facimus, quibus in ecclesia bonorum temporalium administratio tribuitur, haec brevissime veniunt notanda:

aa) ex iis quae diximus de iure possidendi prout illud Romano Pontifici competit, liquet *plenissimum* ius administrandi eidem tribuendum esse. Hinc sequitur, quot sunt ecclesiastica bona, ita ad eius *plenitudinem potestatis* referri, ut de eisdem saltem *quoad validitatem actus* possit quomodolibet disponere, sive eorumdem possessionem ab uno ad alium transferendo ita tamen, ut in Ecclesiae generali possessione permaneant; sive etiam ea, quando opus est, in ecclesiae bonum vel ad maius malum devitandum, alienando, ut pluries per concordata factum fuisse constat.

bb) in singulis vero dioecesibus episcopus, circa administrationem bonorum quae in iis exsistunt, supremam habet potestatem, nisi peculiari exemptionis privilegio ab eius iurisdictione subducantur. Huc pertinet ius quod eidem competit visitandi loca pia et ab eorum administratoribus exigendi rationem.

cc) Regulares vero, quippe qui exemptionis privilegio fruuntur, quoad administrationem suorum bonorum nullo obstringuntur officio erga episcopum, sed determinatis legibus Ecclesiae ea statuta sunt quae ad bona regularium administranda pertinent; de quibus agendum erit in titulo de monasteriis.

dd) Qui vero inferiores sunt episcopo administratores, triplici potissimum ligantur officio; scilicet

I. Iurisiurandi religione, sese obstringere tenentur, se fideliter bona illa curaturos; tum eorumdem accurata inventaria conficere, ac demum, ut iam animadvertimus, statis temporibus episcopo vel eius delegato rationem reddere.

II. Alterum administratorum officium est, ut res sibi commissas, non solum ita custodiant, ut nullum capiant detrimentum, verum quantum fieri potest curent ut in meliorem conditionem deveniant. Hoc enim omnino decet eos qui patrimonium Christi et pauperum administrandum suscipiunt.

III. Ultimum administratorum officium est, ut bona sibi commissa in eos usus impendere satagant, quibus sunt destinata: hic vero innectitur multiplex controversia, quae tum ad conscientiae, tum etiam ad externum forum pertinet, scilicet, quaenam obligatio clericis insit circa usum bonorum ecclesiasticorum, quaeque iis necessaria, quaeque superflua dicenda sint. Item ex quonam titulo iustitiae vel charitatis haec obligatio sit deducenda, et quaenam proinde exsistat restituendi obligatio, si male iis clericus utatur. Denique quotuplici modo spectari debeat *peculium clericorum,* prout bona *patrimonialia,* quasi *patrimonialia* et *ecclesiastica* proprie dicta complectitur. *V. Scholion ad §. I. (heic).* Sed de his consuli possunt doctores ad titulum *De peculio clericorum* (III. 25.); nominatim Leurenius et Zallinger (1).

(1) Ferrari Iosephus. Op. cit. §§. 595 seqq. Synod. Rom. sub Symmacho. (502) Sabb. et Mansi Tom. V. col. 475.

§. III. *De iure alienandi.*

437. Quemadmodum ad Ecclesiam pertinet, quoad bona temporalia, ius possidendi et administrandi, ita eidem competit ius ea alienandi, si id sui finis ratio forte requirat.

Hinc in Decretalibus est titulus inscriptus *De rebus Ecclesiae alienandis vel non,* uti et in Decreto leges habentur de eadem re (1). Alienatio proinde bonorum ecclesiasticorum, non quocumque modo, sed determinata ecclesiastica lege fieri debet.

Quare ut plene notio habeatur eorum quae spectant ad alienationem bonorum ecclesiasticorum, haec statuenda sunt:

a) determinari in primis debet notio rerum ecclesiasticarum;

b) item recensendi sunt ii actus, qui alienationis nomine veniunt;

c) leges quoque proponendae sunt, quas ecclesia statuit hac de re;

d) denique subiiciendae, si quae sint ab iis legibus exceptiones.

I. Nomen ecclesiae hic se porrigit ad quemcumque locum pium auctoritate episcopi constitutum; et res ecclesiae proinde dicuntur ea omnia quae ad illum pertinent. Nomen enim ecclesiae, ut ait Leurenius (2), in hac materia favorabili late accipitur, ita ut non tantum loca sacra seu consecratione vel benedictione ad rem sacram addicta, ut sunt templa, capellae, oratoria, comprehendat, sed etiam se extendat ad alia quevis loca pia et religiosa, ad pietatis et misericordiae opera ibidem exercenda vel alia eiusmodi auctoritate ecclesiastica constituta aut deputata, citra consecrationem et benedictionem episcopalem; ut sunt monasteria, conventus, congregationes, xenodochia et hospitalia, etc.

(1) *Lib. III. tit. 13; in VI. tit. 9; in Clem. tit. 4; in Extrav. tit. 4. cap. unic.; in Decr. Gratiani, Cau. XII. q. 2.*

(2) Forum eccles. *in h. t. §. I. q. 141.*

II. Ad rite intelligendas leges de alienatione rerum ecclesiasticarum, sedulo attendenda est earum divisio, quae in iure canonico passim adhibetur. Itaque

a) Res aliae dicuntur *corporales,* quae scilicet sensibus externis subiiciuntur, uti aedes, horti, agri, vineae, pecuniae etc.; aliae vero *incorporales,* quae nempe sensibus externis haud sunt ex sese subiectae, licet facultatem exhibeant aliquid agendi quod est sensibile. Tales sunt *servitutes, actiones, obligationes* etc.

b) Res corporales subdividuntur *in mobiles* et *immobiles.* Priores sunt vel *semoventes* vel *simpliciter mobiles,* prout de loco ad locum vi sua vel aliena transferri valent.

c) Notandum tamen est, actiones, obligationes, et iura, quamvis ex dictis, utpote incorporales, neque mobilibus neque immobilibus per se sint annumerandae: quia tamen habent se tamquam accessorium, quoad res circa quas dantur, hinc ex iisdem nomen veluti accipiunt, et sive mobiles sive immobiles dicuntur pro rerum diversa ratione quibus inhaerent (1).

d) Res immobiles sunt vel *naturaliter* vel *civiliter*, prout earum natura vel legis dispositio efficit ut immobiles reputentur. Item in huiusmodi immobilibus naturaliter rebus, quaedam habentur tanquam exigui omnino pretii, unde peculiaris pro iis habetur inferius recensenda exceptio.

e) Mobiles vero res iterum subdividuntur *in pretiosas* et *non pretiosas;* pretiosae sunt vel *materia,* ut aurum, argentum, gemmae etc., vel *artificio,* ut opus eximium sculptile, anaglypticum, etc. vel *fructu,* ut grex ovium; secus ut non pretiosae habentur.

Denique res mobiles, aliae sunt quae *servando servari possunt,* aliae vero quae *servando servari nequeunt,* uti ex. gr. vinum, oleum, frumentum, quae nisi consumantur, inutiles evadunt eo quod brevi spatio corrumpuntur.

III. Actus porro qui in iure nostro alienationis nomine veniunt ii omnes sunt quibus dominium *plenum*, vel *utile*

(1) *Schmalzgr. in h. t. nn. 1–4.*

aut transfertur aut saltem minuitur. Quin imo et locatio ultra triennium facta, ut alienatio habetur (1).

IV. Iam recensendae sunt leges quibus Ecclesia vetat aut permittit alienationem rerum suarum, pro illa multiplici earumdem nuper recensita divisione. Itaque

a) principii instar in hac materia haberi debet, rerum ecclesiasticarum alienationem generatim vetitam esse, adeo ut quando permittitur, non nisi praestitutis modis iuxta certas leges et circa determinatas classes et debitis cautionibus servatis, id fieri possit;

b) iam vero Ecclesiae legibus alienari vetantur, *alienatione voluntaria,* quae scilicet ex mero pendeat arbitrio ac nulla lege obstringatur, res immobiles aut mobiles pretiosae et quae servando servari possunt;

c) hinc ad harum alienationem rite faciendam requiritur primo *iusta causa,* tum secundo, ut serventur *solemnitates* a iure praescriptae;

d) ad iustas causas revocantur; *necessitas, evidens utilitas, exercitium christianae charitatis:*

e) solemnitates vero a iure requisitae, sunt: *beneplacitum apostolicum,* quod iuxta recentissimas ecclesiasticas sanctiones (2), semper requiritur ad alienationis validitatem. *Consensus eorum quorum* interest: at aliter atque aliter huiusmodi consensus necessarius est, pro diversa ratione bonorum quae alienantur. Nonnumquam enim synodus provincialis, nonnumquam capitulum vel collegium, aliquando etiam clerus universus consensum suum dare debet. De his singillatim agunt DD. ad hunc titulum (III. 13); conferri nominatim possunt Pirhing et Giraldi (3).

f) Sunt tamen quaedam res, quae licet immobiles, eximuntur a legibus superius recensitis de immobilium alienatione, idque ob exiguam quantitatem vel alias peculiares rationes. Huc spectat *Can. Terrulas et vineolas 53. Cau. 12. q. 2.* Canon est concilii agathensis, in quo statuitur epi-

(1) *Schmalzgr. l. c. nn. 6. 7.*
(2) *Const. « Apostolicae Sedis » inter cens. nemini reserv. n. III.*
(3) *Pirhing in h. t. Sect. II.; Giraldi, Exp. Iur. Pontif. Sect. 444.*

scopum posse *sine consilio fratrum* distrahere (alienare) terrulas exiguas, vel ecclesiae minus utiles aut longe positas aut parvas. Quibus innuuntur rationes quae praeter exiguitatem, ex dispositione iuris, alienationem horum immobilium liberam plane efficiunt.

g) Cum autem in canone allegato, aliisque ecclesiasticis sanctionibus definitum non sit, quinam valor habendus sit tamquam exiguus, abeuntibus in varias sententias auctoribus, verior ea videtur opinio quae etiam sacrarum congregationum praxi firmatur, episcopum non posse alienationem permittere ultra valorem viginti quinque scutatorum auri *de Camera.* Sed neque omnes consentiunt in determinando valore scutati auri *de Camera;* communior ea est opinio, quae viginti quinque scutata aurea de *Camera* aequat scutatis quadraginta et uno ac viginti quinque obolis monetae antiquae romanae, seu circiter libellis 221 monetae italicae. At vero cum haec sit norma, antiquis iam temporibus data, pro immutato pecuniae valore, nunc proportionate augenda videtur. Ut enim vidimus, exiguus valor ratio est, qua explicite sanctiones ecclesiasticae alienationem omnino liberam aliquando permittunt.

h) Denique recensendae forent hic quoque poenae statutae ab ecclesiasticis legibus, contra alienantes bona Ecclesiae non servatis conditionibus ab iisdem praescriptis.

De his conferri possunt doctores locis citatis. Ad eas nominatim spectant quae habentur tum *Extrav. Ambitiosae* (1), *et Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 11. de Ref.* tum *in Constitutione Apostolicae Sedis n. 3. inter excommunicationes nemini reservatas.* Cf. *Ferrari Ios. Summa Instit. Can. n. 707 ed. 3. 1877.* Verum quoad has poenas quaedam animadvertenda veniunt ob recentem Constitutionem *Apostolicae Sedis* modo allegatam. Etenim

a) In ea Constitutione inter excommunicationes latae sententiae nemini reservatas sub numero tertio ea recensetur contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam extra-

(1) Cap. unic. *De reb. Eccl. non alien.* (III. 4).

vagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis. Porro in hac sanctione illud statim occurrit, reservationem quae prius habebatur huius censurae penitus fuisse sublatam; tum etiam praeter *alienantes* et *recipere praesumentes* nullum alium ea plecti, adeoque *consentientes, consulentes, faventes* etc. quin et *destruentes* vel *furantes, diripientes* res ecclesiasticas nullatenus includi, cum eiusmodi actiones *alienatio* profecto dici nequeant.

b) Hinc praeter hanc excommunicationem, omnes alias censuras proprie dictas, uti suspensionem et interdictum, quae in prioribus iuris sanctionibus continebantur, pariter fuisse sublatas, omnino certum videtur.

c) Sunt tamen qui censent in suo robore adhuc manere reliquas poenas, quae in iisdem sanctionibus efferebantur, quaeque censurae proprie non sunt, uti privatio beneficii vel vocis activae et passivae, inhabilitas ad officia et beneficia etc. At hoc non ab omnibus admittitur, et verius omnino videtur *poenas latas ab iure* ad unam excommunicationem nemini reservatam coerceri, licet per iudicis sententiam aliae profecto imponi possint.

d) Illud tamen semper intelligitur, alienationem contra leges ecclesiasticas factam, irritam prorsus, et restitutionem rei male alienatae semper faciendam esse.

e) Ut autem superius animadvertimus (heic IV. e.), post Constitutionem *Apostolicae Sedis,* solemnitates servandae sunt iuxta normam extravagantis *Ambitiosae,* adeoque *semper* requiritur beneplacitum apostolicum.

f) Quod vero dicit Craisson (1), iuxta quosdam requiri beneplacitum apostolicum pro alienatione bonorum pertinentium etiam ad pia opera *mere laicalia,* seu nulla auctoritate ecclesiastica erecta, nullo pacto admitti potest. Obstat enim ipsa rubrica, quae est de rebus *Ecclesiae* alienandis vel non.

(1) Manual. J. C. n. 2912.

TITULUS VIII.

De decimis, primitiis et oblationibus.

438. Post traditas generales notiones de iure Ecclesiae in bona temporalia, deveniendum est ad eas leges quibus peculiaris ratio determinatur ecclesiasticae possessionis. Haec autem potest considerari prout magis vel minus perfecta est.

439. Porro ad minus perfectam ecclesiasticam possessionem ea referenda censemus, quae spectant ad *oblationes,* sive haec ex ultronea fidelium voluntate, sive legibus Ecclesiae sint constitutae.

Hinc apte ad *oblationes* referuntur *decimae;* nihil enim aliud sunt quam oblationum aliqua species, quae tamen lege ecclesiastica aut consuetudine legitima sunt stabilitae quoad *quantitatem.* Primitiae vero species quaedam decimarum sunt, sed determinatae quoad *qualitatem.* Item ad hanc minus perfectam possessionem revocamus quosdam redditus ex bonis perceptos quae sunt in dominio alieno aut quasdam ecclesiastica lege statutas subministrationes.

Perfectam vero rationem ecclesiasticae possessionis in *beneficiis* veri et proprii nominis contineri affirmamus.

Quare primum de oblationibus aliisque ad imperfectam possidendi rationem pertinentibus, tum de ecclesiasticis beneficiis sive in genere, sive in specie agendum erit.

440. *Oblationes,* prout ecclesiastica lege discriminantur a decimis et primitiis, per se ut nomen ipsum indicat, ex ultronea fidelium pietate repetendae sunt. Hinc quamvis deinde lege aliqua Ecclesiae vel universali consuetudine vel vigente necessitate potuerint determinata ratione constitui, illum tamen semper originalem veluti characterem retinent, quod ab ipsis fidelibus in significationem pietatis offerantur, et sub aliqua ratione fidelium arbitrio quadantenus permittantur.

441. In antiquiori Ecclesiae disciplina oblationes triplicis erant generis, prout fiebant *ad altare* cum sacrificium